

evocatus a Maxentio imperatore transfretavit cum omni sua substantia Alexandriam, ubi et beata Catharina passa est.

*Non* Post multum temporis Graeci rursum regem in insula constituerunt, qui reges, sicut et omnes Graeci, non modicum infesti Latinis fuerunt; quidam autem regno adepto effeminatus Graecus multas turpitudines operabatur in foeminas peregrinas, qui dominicum sepulchrum in Jerusalem visitare ex devotione volabant, et dum ad insulam appulerunt, rapi fecit vi ab eo desideratas et in hoc nec nobilium filiabus nec uxoribus deferebat. Ea enim tempestate multitudo magna peregrinabatur in Jerusalem quotidie, quia regnum Hierosolymitanum jam ad Latinos translatum fuerat. Contigit autem, quod domina Osina, Richardi regis Angliae soror, devotaria ad Cyprum navigio declinaret et inde in terram sanctam transfretaret, quam quidem rex sub specie honestatis invitavit et omnem ejus comitivam et optime ac honorifice procuravit; cum autem domina festinaret ad Jerusalem, sicut peregrini omnes faciunt in Cypro existentes, noluit eam rex dimittere, nisi promitteret se reversuram ad eum. Domina ergo nihil mali suspicata promissionem fecit et ad loca sancta navigavit. Quibus visitatis in Cyprum ad regem revenit, rex ergo ipsam accipiens vi oppressit et violatam abire permisit. Quae, ut in Angliam venit, omnia quae sibi acciderant, fratri conquesta est, concitans ipsum vehementer contra stupratorem, Cypri regem. Congregata autem classe magna, tamquam contra Trossonios, arabicas gentes Syriam possidentes, profecturus, armatam multitudinem ab Anglia per mare eduxit, et de Catalonis ac Siculis plurimos suis copiis adjunxit et in Cyprum irruit, miserabilem nimis stragem fecit sibique insulam totaliter subegit, regem et omnes ejus amicos exterminavit. Interea Saladinus, Aegypti Soldanus, capta Hierosolyma, Guidonem regem expulit regno, cui Richardus Angliae rex Cyprum in recompensationem dedit. Atque hoc modo insulae propter ejus antiquam regii nominis dignitatem regni titulum dedit. Sicque iterum regnum esse incepit anno Domini MCC. et duravit sic annis multis sub nomine regni Hierosolymitani, quod illinc ibi translatum fuit. (152 a) Frequentibus tamen incommidis et tumultibus vexabatur regnum per Sarracenos sibi propinquos et per Turcos, maxime autem per Venetos et Genuenses, qui inter se discordes totum quasi mare et ejus insulas turbaverunt.

